



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

100. Aliàs à Nobis &c. Revocatio suspensionis Cruciatæ Sanctæ in Regnis  
Hispaniarum pro Anno 1720.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



ANNO  
1719.

Apostolicæ auctoritatis quovis modo emanata, edita, acta, gesta & perpetrata, cum omnibus pariter inde secutis, & quodcumque secuturis, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolimus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi volumus, & mandamus.

Com decreto irritanti, & clausulis conclusis.

§. 2. Decernentes easdem presentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias specificæ, & individua mentione, & expressione digni, illis non conferant, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas presentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare illo modo posse; Sed ipsas presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, aliove quoslibet quâcumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublati eis, & eorum cuilibet quâvis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. præmissis, ac Apostolicis, & in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo; Legibus quoque etiam Imperialibus, & Municipalibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis præfatis, & aliis quibusvis personis etiam speciali mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & Potestatis plenitudine paribus, ac confistorialiter, & aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis.

§. 3. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Cum autem eadem presentes literæ in supradictâ Civitate Taurinensi, aliisque locis Sæculari potestati earundem partium subjectis nequeant tute publicari, ut hætenus experientia compertum est, & Nobis notoriè constat, prout harum serie declaramus; volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est affigi, & publicari; Sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde tractare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; utque ipsarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anno Picatoris die xviii. Augusti MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno decimo nono.

ANNO  
1719.

Et derogatione omnibus contrariis.

Mandat affixionem præsentium literarum in Urbe omnes afficere debere, & fidem adhiberi transumptis.

F. Card. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimonono, Indictione duodecima, die verò xxi. mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papa XI. Anno ejus xix. supradictæ li era affixa, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Magnæ Curie Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Romolatum Apostolicam Cursorem.

Franciscus Bartolotius Curf. Magister.

REVOCATIO

Suspensionis Cruciatæ Sanctæ in Regnis Hispaniarum pro Anno 1720.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs à Nobis emanarunt literæ in simili formâ Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Clemens Papa XI. Ad futuram rei memoriam. Romanus Pontifex æqui, bonique Supremus Assertor &c. Cum autem, sicut accepimus, Hispanicæ Nationis Populis longâ annorum serie affluetis gaudere Indulgentiis illis, aliisque tam spiritualibus, quàm temporalibus gratis, quæ olim ab hac Sanctâ Sede ad certum tunc expressum tempus cla. mem.

Præmium à Breve suspensionis, quod insertum est supra numero 96.



ANNO  
1720.

Philippo II., aliisque successivè Hispaniarum Regibus Catholicis, nec non omnibus, & singulis Christianissimis in Regnis, & Dominis ipsarum Hispaniarum, ac illis adiacentibus, Infulis consistentibus, & ad ea declinantibus, qui certa munera adimpleverint, ac signanter ex bonis sibi à Deo tributis eam pecuniæ summam, quæ per Commissarium, seu Executorem gratiarum hujusmodi ab eadem Sede deputatum taxata fuisset, in causam expeditionis adversus Turcas, Mauros, & Saracenos faciendæ liberaliter contulissent, concessæ, & pluries de sexennio in sexennium prorogata, deinde verò à fel. rec. Urbano VIII., ac postea etiam ab aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris quoad licentiam vescendi ovium, & lactificinis tempore Quadragesimæ pro personis Ecclesiasticis Sæcularibus tunc expressis extensæ, & ampliata, de sexennio itidem in sexennium sæpius prorogata fuerant; quasque Nos ipsi Charissimo in Christo filio nostro Philippo V. eorundem Hispaniarum Regi Catholico, & aliis Christianissimis supradictis similiter ad sexennium à fine alterius sexennii ultimò prorogati numerandum extenderamus, & prorogaveramus; Summopere grave, ac molestum accidat ratione suspensionis, à Nobis in præinsertis nostris literis mandata, indulgentiis, ac gratiis hujusmodi de præfenti carere, adeo ut maximè etiam verendum sit, ne hujus rei causa non levia scandala, ac perturbationes in illis partibus oriri possint; Verùm nondum Nobis fas sit, præfatam suspensionem ita è medio tollere, ut indulgentiarum, & gratiarum prædictarum intuitu ea nunc exigi emolumenta permittere possimus, quæ prius exigi consueverant, cum verè minimè adhuc cessaverint rationes illæ, quæ Nos ad eandem indulgentiarum, & gratiarum suspensionem decernendam impulerunt, ne emolumenta prædicta in causam longè ab ea alienam, in quam juxta Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, atque etiam nostram superius expressam intentionem erogari debuissent, reipsa erogari, atque converti contingeret.

§. 1. Hinc est quòd Nos supradictæ Hispanicæ Nationi, quæ præcipuum suum Catholicæ Religionis zelum, devotumque, ac sincerum erga Apostolicam Sedem studium præclaris argumentis toties testatum fecit, quantum cum Domino possumus, gratificari cupientes, simulque eidem Philippo Regi, cujus erga populos sibi Subditos amorem satis perspectum habemus, rem minimè ingratoram facturos Nos esse confidentes, sed nihilominus hoc ipsum eà adhibita circumspicione, quam in præfenti rerum statu adhibendam esse censemus, exequi volentes, Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ, deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine memoratis Philippo V. Regi, aliisque Christianissimis in Regnis, & Dominis Hispaniarum, ac illis adiacentibus Infulis consistentibus, & ad ea, sicut præmittitur, declinantibus, ut præfata suspensione minimè obstante per totum præsentem inchoatum annum MDCCXX. dumtaxat omnibus, & singulis indulgentiis illis, & gratiis spiritualibus, quæ à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris intuitu, & occasione expeditionis contra Turcas, Mauros, & Saracenos gratiosè, & independentè à quovis ministerio, vel opera Executoris, seu Commissarii pro aliquarum ex gratiis hujusmodi executione in Apostolicis literis super earum concessione, seu prorogatione expeditis deputati concessæ, & extensæ, ac etiam à Nobis prorogata fuerunt: Nec non insuper indulto vescendi prohibitis in eisdem literis, & juxta earum tenorem concessio, ac respectivè extenso, & ampliato, uti, frui, potiri, & gaudere libe-

rè, & licitè possint, & valeant, dummodò tamen à quavis etiam minima solutione pecuniarum in prædictis literis, ut præfertur, mandatâ, seu alio quovis quæsto colore, titulo, seu prætextu faciendâ penitus abstineant, ac illius loco ea pietatis opera adimpleant, quæ ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæc nostræ pervenerint, præscribentur, ac in reliquis, præfatarum literarum formam, & dispositionem omnino observent, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 2. Præterea earundem tenore præsentium decernimus, ut supradicto indulto vescendi prohibitis excepto, quoad reliquas gratias omnes temporales, nec non quoad alias tam spirituales, quam temporales, quarum executio Commissario, seu Executori præfato in literis super earum concessione, seu prorogatione emanatis committitur, suspensio ad nostrum, & Sedis prædictæ beneplacitum in præinsertis nostris literis præcipra firma, & illæsa remaneat, quam etiam firmam, & illæsam remanere volumus quoad cætera Apostolica indulta in iisdem præinsertis literis comprehensa.

§. 3. Decernentes pariter easdem præfatas literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut adversus illas aperiens oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præfatas literas illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Cardinales, & Legatos, nec non Nuncios, & alios prædictos nunc, & pro tempore existentes, sublata similiter eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit; nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de jure quæsto non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis nostris literis concessimus non obstante, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præfatis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xiii. Januarii 1720 Pontificatus Nostri Anno 20.

F. Card. Oliverius.

Grave est Hispanis carere gratia Cruciatæ.

Revocât suspensionem Cruciatæ pro anno 1720. tantum.

Mandat tamen ejus gratiam concedi.

ANNO  
1720.  
abque ulla pecuniarum solutione.

Firma remanente suspensione quoad alia Indulta.

Decretum irritans, &amp; clausula sublata.

Deregatis quibuscumque contrariis.

Fides adhibenda transumptis.

CON-